

uitatibus cunctis occurit, statu, ecclesiastico, politico,
et oeconomico. Ad unum alterumue horum statuum,
quaecunque demum in ciuitate occurrunt, certo quodam
respectu pertinere, nemo negabit. Nec promptior facili-
orue suppetit ratio, amplissimam quamque Rempublicam
penitus examinandi, quaeque in ea singulariter notari
merentur, distincte, ordinateque comprehendendi. Sci-
licet, ratione status ecclesiastici, peregrinator dispicere
potest de templis, aedibusque praecipuis, de sacerdoti-
bus, eorum ordine, uiuendique ratione, de festis, caere-
moniis, uariisque ritibus sacris, de liturgia, fideique pu-
blicae expositione, de legibus, statutis, iudiciisque eccl-
esiasticis, de scholis, gymnasiiis, et academiis, de religi-
one, pietate, deuotione, earumque contrariis etc. Circa
statum politicum in primis quaeri potest, qualis sit ma-
teria Reipublicae primaria, h. e. populus, qualis secunda-
ria, h. e. territorium, seu regio, hocque respectu indaget
peregrinator tum qualis sit forma regiminis, qualis sta-
tus, qualis ciuitas, uniuersitate, et sigillatim considerata,
tum qualis sit regio, et interne, et externe considerata,
quo referri possunt omnia, quae Geographia Chorogra-
phia et Topographia cognoscere praecipit. De oeco-
nomico denique statu quaerat peregrinator, an agrorum,
uinuarum, hortorum cultura, item rei pecuariae studium
floreat, an et ubi metalliferum existat solum, an uaria
potus genera coquantur, an commercium et mercatura
exerceatur, an multae utilesque extent opificinae, ne
multis, an iis omnibus instructa sit regio, ac Respublica,
quae alias in Oeconomico, sigillatimque in doctrina ge-

orgi-

latissime per omnem uitam, imo per omnem naturae ampli-
tudinem patet, id, quod ostendere tabellis et exemplis sin-
gularum urbium aggressus est, quem ante laudaui, Zwingerus.
Sed nobis opulentioris methodi uidetur designatio, quam cu-
riosi peregrinatoris ingenio inscribit illa sciendi cupiditas,
nihil inobseruatum dimittere solita.